



Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

Grodzicki, Stanisław

Ingolstadii, 1609

Concio I. Timor.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)

primis vero vltimorum verborum indeque beatitudinis tum Deiparæ, tum nostræ contemplatio, diuinam in nobis excitabit charitatem.



POENAE
PECCATI

CONCIO I. TIMOR.

*Dispar cō-
paratio.*

Matt. 17. 5.

DOMINICA præterita vidistis oculis mentis vestræ dilectissimi, faciem Iesu Christi Domini nostri, gloriola in Trāsfignatione mirabiliter fulgentem, audistis etiam verba tum magnifica Dei Patris è cælo delapsa: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: tum iucundissima Petri exclamantis, *Domine bonum est nos hic esse*; vnde sine dubio exultastis in Domino, exultatione spiritali. At vero è contrario die hodierna, dum intuemini homines scelestissimos, & ingrattissimos eidem Christo Domino in faciem resistere, eumq; conuicijs afficere, cumque auditis tum blāphemiam illam Iudaicam crudelem, **IN BEELZEBUB PRINCIPE DÆMONIORVM EICIT DÆMONIA**: tum ipsius Christi Domini prophetiam certissimam, eandemque comminationem seuerissimam, de septem dæmo-

dæmonibus pessimis, qui homines in peccata relapsos occupare consueverunt; quidni vos & contristatos esse, & plurimū expauisse credam? Nonne & filios ignominia patris fas est cominueri: & peccatores (quorum è numero sumus nos) ad minas eiusmodi æquum est perhorrescere?

Quare vt timor hic sanctus maneat, & in veram pœnitentiam excreseat in nobis, primum in genere quales nos efficiat quoduis peccatum mortiferum in conspectu Dei, & Angelorum eius, imo & piorum omnium, perpendemus: deinde singillatim, de ingratitude, de blasphemia, deq; alijs quæ Euāgelium nobis proponit, & de pœnis illorum agemus: postremo vero remedia his omnibus adhibebimus. Da Christe Iesu ita id agamus, vt timor tuus sanctus & sit, & infructuosus non sit in nobis.

Quicumque clarè cognoscere cupit, quis qualisue sit homo quilibet in peccato læthali constitutus, is hominem istum, de quo in principio Euangelij hodierni agitur intueatur, & qualem hunc in corpore esse animaduertit, talem illum in anima coram Deo, & Sanctis eius apparere, certo sibi persuadeat.

ET ERAT IESVS EICIENS DÆMONIVM; ET ILLVD ERAT MVTVM. inquit noster Euangelista Lucas, non quod ipse

*PROPO.
Tripartita.*

*I. PARS.
De effectib.
peccati mor-
talis vni-
uersim.*

*Mutus iste
olim loquēs*

ipse demon mutus esset, cui loqui naturaliter nec competit, nec competere potest, sed quod hominem quem occupauerat mutum redderet, quem antea sermonis compotem fuisse, cum ex his verbis, tum vero ex sequentibus evidens est meo iudicio, subditur enim.

ET CVM EIECISSET DÆMONIUM LOCUTVS EST MUTVS. Quomodo enim loqueretur, si loqui antea nesciuisset? Nam donum linguæ datum fuisse alicui à Christo ante aduentum Spiritus sancti in die Pentecostes, non memini me legere. Cæterum non mutum solum, sed & surdum, & cæcum fuisse hunc miserum constat, id quidem ex Matthæo cum inquit. *Tunc oblatuſ est ei demonium habens, cæcus & mutus*: illud vero ex vi verbi Græci, quod magis surdum, quam mutum significare, testatur linguarum peritissimus Hieronymus. Itaque sicut quatuor miracula vna actione peregrisse Christum Dominum, ita hominẽ istum totidem morbis grauissimis in corpore oppressum fuisse perspicuum est.

Hæc ipsa quatuor spiritualiter intellecta, pati in anima omnes qui peccato mortifero constricti tenentur, palam est, tum sacras literas legenti, tum cum eiusmodi hominibus conuersanti. Est enim istorum anima à dæmone occupata, sunt in intellectu cæci, sunt in memoria, & in voluntate surdi, sunt in eadem,

*Matth. 2. 22.
Quatuor
miracula
simul.*

*Quatuor
capta ma-
lorum pec-
cantis mor-
taliter.*

dem, & in exequendi facultate muti. Quæ *Primus est*
quidem mala ita ex anima in corpus, in lin- *fectus p. m.*
guam, in appetitum tam concupiscibilem, *à damone*
quam irascibilem, in sensus deriuantur, vt *occupans.*
& omnia inficiant, & per externas operatio-
nes facillimè se prodant. Videamus singula
per ordinem, vt tandem tantam, tamque
crudelē animæ nostræ calamitatem intuen-
tes, misereri ipsius, indeque nos extricare
prout ualemus uelimus.

Duo tresque modi sunt, quibus Sathan oc- *Triplices*
cupare homines consuevit, nēpe vel solum *obfessi.*
modo in corpore, vel in anima tantum, vel
in utroque simul. Qui prima occupantur ra-
tione energumēni; qui secunda, impij; qui
vtraque utroque nuncupantur nomine. Ex
Euangelio hodierno constat, hunc qui cu-
ratus fuit, primi (forte etiam tertij) Phari-
sæos uero blasphemantes secundi fuisse ge-
neris: tertij erat ille incestuosus (saltem in
principio, nam postea resipuit) quem Pau-
lus Sathanæ tradiderat. *1. Cor. 5. 5.*
Quæris quisnam *Miserimus*
istorum maximè sit calamitosus? Respon- *qui in anti-*
deo, scire me, primum quidem minime esse *ma.*
miserum: at uero ex posterioribus uter sit
miserior, nouit qui scrutatur corda & renes
Deus. Quamuis enim cæteris paribus, ter-
tius sit calamitosissimus: sæpè tamen à se-
cundo superatur. Neque enim ausim ego
miseriorem reputare Corinthium illum
quem

*Gradus in-
ter eos.*

quem Paulus reprehendit & castigat; Phariſæis iſtis blaſphemis: imo auſim cenſere feliciorẽ. Calamitas enim illa quam in corpore ſuſtinuit, quando à Paulo traditus eſt Sathana, longè maiorem animæ ipſius calamitatem, creditur depulſiſſe. Fons igitur veræ infelicitatis in ſecundo modo conſiſtit. Eiuſmodi porro eſſe omnes peccantes mortifere, iam dixi. Eſt tamen ſicut inter delinquentes, ita inter hos differentia; quo enim quis, plura & grauiora committit peccata, eo acrius, & arctius à dæmone poſſidetur.

*Hi vero fa-
cile cogno-
ſcuntur.
1. A cauſa.*

Quod ſi quinam ſint eiufmodi cognoſcere cupis, facile id meo iudicio obtinebis, (præſertim in te ipſo) tum à priori ſiue à cauſa, tum à poſteriori ſiue ab effectu. Primo modo agnoſces, te in anima à malo occupari dæmone, ſi te ipſum eius mancipaſti ſeruituti. Quid clarius? At inquis, neminem ita eſſe crudelem, & prodigum animæ ſuæ, qui id faciat? niſi fortè maleficos & veneficos intelligas, qui tamen ſunt pauciſſimi. Utinam vero vigilantia & debita magistratus animaduerſione ſint nulli. Verum ſecus rem ſe habere quis ignorat? Quam pauci ſint in rogis, quam vero multi in domibus, vel etiam in ipſis principum palatijs, quis non videt? Innocentibus interim & diſſimulantibus ijs, quibus dictum

*Tales ve-
nefici, qui
puniendi.*

dictum est. *Maleficos non patieris viuere. Exo. 22. 18.*
 Sed hæc inquis antiquæ legis erant, ideo cessarunt. Erras. Lex enim ista, lex naturæ est. Hanc vero integerrimam Christum seruare præcepisse, nemo nisi stultus ambigere potest. Videant igitur Iudices hæc negligentes, quid iudici Deo respondeant suo tempore.

Cæterum non istos modo, sed & cæteros omnes, qui mortifero crimine tenentur, diabolo se mancipasse exemplis quotidianis facillè discimus. Cur enim tu ô Nobilis subditos tuos serui uel ac mancipiorum loco ducis? Dices rationem in promptu esse, quia eo ipso, quod aliquis agrum meum colit, quem hac lege & conditione à me recepit, ut seruus meus esset, seruum illum meum esse necessum est. Quid igitur dicis de te ipso, qui agrum dæmonis ultro suscepisti, eumque sedulo versas, ac reuersas; nonne eadem lege, te ipso iudice mancipium eris Sathana? O quam in omnibus uerbum illud Christi, *de ore tuo te iudico*, locum habet, *Luc. 19. 22.* habebitque olim maximum. Id igitur cogita, & recogita, indeque perhorresce, & age pœnitentiã. Quid? num de uerbo ueritatis ambigis? Non ambigo inquis. Sed quæ ego agrum dæmonis colam non uideo. Mirum si rem adeo in luce positam non cernis. Audi ergo ut tandem oculos mentis aperias tuar.
 Ager

Tales omnes peccatores mortiferae.

Exemplum à simili.

NOTA.

Luc. 19. 22.

Agri Sa-
thana.

Ager mali dæmonis libido est, luxus est, luxuria est, ebreitas est; agri dæmonis sunt furta, rapinæ, vsuræ; viduarum, pupillorum, pauperum oppressiones; iuris & æqui euerfiones; agri denique dæmonis sunt, odia, detractiones, cædes, homicidia, de peccatis gloria qua sita; nec non schismata, hæreses, blasphemias, periuria, hisque similia scelera, quæ cum tu quotidie colas & recolas, qua veritate seruum te esse Sathanæ negas, cuius imperio volens sciensque te subdis? Veniet crede mihi, ni resipiscas, dies, quando imperjum, & tyrannidem ipsius agnosces, & grauiter senties, gemesque sero per omnem æternitatem. Stat igitur veritas, omnes qui peccât mortaliter, seruos esse diaboli, ab eoq; in anima obsideri vel possideri potius vltro & voluntariè, quia vltro & spôtè, imo maxima cum lætitia, agrum ipsius colendum susceperunt, neglecto, imo spreto illo patrefamilias, qui mittit operarios in vi-

Mat. 20. 1. *neam suam.**2. Ab Affe-*
ctib. & aris.

Id ipsum à posteriori, & ex euentu planè animaduertes, si quid tecû, quid in te, quid à te agatur serio, & diligenter inuestigaue-
Comparationes ris. Vidistin' aliquando in energumeno dæmonem voces horrendas edentem, dentibus obfessi stridentem, turpes saluas fundentem, corpus miserè affligentem, collidentem, contorquentem? Si hæc non vidisti, crede

NOTA.

crede

crede ijs qui viderunt, quorum è numero
 me esse fateor. Quod si nec nobis fides ad-
 hibetur, adhibeatur Scripturæ sacræ, in qua
 inquit quidam ad Iesum. *Magister attuli si-*
lium meum ad te habentem spiritum mutum, qui
ubique eum apprehenderit, allidit eum, &
spumas, & stridet dentibus, & arefcit, & fre-
quenter eum in ignem, & aquas mittit. Et de
alio quodam dicitur. Semper die ac nocte in
monumentis, & montibus erat, clamans & con-
cidens se lapidibus. O utinam adesset hîc
 quispiam Elisæus, qui impetraret nobis à
 Domino, ut oculi mentis nostræ aperiantur,
 quibus videre possimus, (vel velimus po-
 tius) quam crudelitatem tyrannus iste pef-
 simus, in anima à se occupata exercet, credi-
 derim nos tandè animæ nostræ infelici non
 defuturos. Sed quid miraculis opus est, cum
 hæc ipsa ita per corpus erumpant, ut omni-
 bus palam fiant? Quam quæso turpiter lu-
 xuriosus, spumet suas confusiones, nutu,
 verbis, factis? Ebriosus vero quam incon-
 ditos & planè belluinos imo infernales e-
 dat clamores? quam non spumet modo, sed
 & vomat, quam frequenter caput, iam ad
 parietem, iam ad faxam allidat? quomodo in
 aquis & cæno profundissimo iaceat, quod
 oculis conspeximus nostris: taceo reliqua.
 Quis vero arefcit magis quam invidus, quâ
 auaritiæ deditus: iste pecuniæ, ille hono-
 ris

Mar. 9. 17.
Obsessi in
corpore.

Mar. 5. 5.

4. Reg. 6.
Cum obses-
so in anima

ris inordinati obsessus cupiditate? Quid dicam de iracundo? Is ita erga inimicum stridet dentibus, ita faucibus vociferatur, tot in proximum maledicta, tot in Deum euomit blasphemias, ita denique gestibus, totoque furit corpore, ut qui eum intuentur, minime sui esse compotem fateantur. Nec mirum, habet enim rapidum in anima sua fessorem diabolum, qui adeo eum exagitat, ut communiter, cum talem aspicius, à dæmone obsessum dicatis. Præter reliqua, ea tantum quæ dat Euangelium tango: attingo inquam, Nam quæ in alijs conuersionibus pluribus excussa sunt, hic non erunt repetenda.

Secundus effectus peccati mortalis cecitas. Pater id. I. E. Causa.

Venio ad cæcitatem. Itaque sicut dæmoniacus iste fuit cæcus in corpore: ita quilibet in lethali peccato existens, cæcus est in anima, in primis vero in intellectu. Quod enim agit oculus in corpore, id in anima intellectus operatur: & quod pupilla in oculo, hoc in intellectu facit iudicium. Quare sicut læsa pupilla, hominem excæcati oportet: ita omnino eum circa res diuinas nostrum iudicium deprauatur, cæcos nos esse in anima necesse est. At vero id fit in quouis peccante, quod adeo est verum, ut nec ipsos id latuerit philosophos. Inde enim celebre illud eorum axioma ortum habuit [omnis peccans errans] Quid vero est aliud

2. Axioma se Philosophico.

aliud error, quam mēis cæcitas? A causa igitur agnoscimus, omnem peccantem cæcum esse. Multo vero clarius idem experientia tenemus. Quid enim si audias quempiam qui in tenebris constitutus, luce se perfundi, in sole vero collocatus, tenebris offundi dicat, nonne cæcum illum esse censebis? Ita sanè. Idem igitur de ijs quoad animam sentias velim, qui quod verum est, falsum; quod vero erroneum, certissimū esse asserunt: qui quod honestum est, indecorum, quod vero turpe, virtuosum vocant. O quantus talium est numerus. Exemplo sint hæretici, quorū etiam alias fecimus mentionem. Istis si tu historias Sanctorū, vitas, corporis vexationes, ac miracula eorum, à viris fide dignissimis cōscripta, atq; ab omni antiquitate suscepta, recenseas, falsa omnia esse, nugasq; purissimas vociferātur: quod si vero fabulas obscuras, de Papa scemina, de tot millibus infantium capitum Romæ in piscina inuentorū, de Petro Apostolo, illum videlicet Romam nunquam vidisse, & sexcenta alia, quæcunq; cōminisci placuerit contra Ecclesiam, Prælatos, & alumnos eius retuleris, statim assentiuntur, credunt, repetunt, nō alia de causa, nisi quia iudiciū, quod est pupilla oculi mēris illorū, læsum est: proinde ipsi quoq; cæci sunt. Simili ratione dic vsurā palliant; eum quem excogitavit contractum, illicitū esse,

3. Experientia à simili

4. Ab exemplis hæreticorum.

Usuras palliantium.

adferas & rationes euidentēs, & scriptores grauiſſimos, ridet, & omnia contemnit, ignorantia arguit vniuerſos: propone vero eideſdem vel vnicum, obſcuriſſimum licet, & infamem authorem idem cum ipſo ſentientē, illico acquieſcit, veraque dixiſſe contendit.

Rom. 1. 18.

quia veritatem in iniuſticia detinet. quia bonū malum nuncupat, & quod illi obeſt laudat. Verum quis cæcitatem iſtorū enumerabit?

Aliorum.

Superbus aliena vitia etiam minuta cōſiderat & reprehendit, ſua maxima ignorat, palpat, nonnūquam etiam de ijs gloriatur. Luxurioſus, detractores, impudicos, ſcurras, ebriofos, hiſque ſimiles laudat, beatos ac mente lætos eſſe pronunciat, pierati, vero & ſacris meditationibus deditos, tanquam triſtes & melancholicos deteſtatur. Omnes denique qui ſunt eiſmodi, in eo quod illis tormentum adfert, beatitudinem ſuam collocant, auarus in diuitijs, luxurioſus in impuris amoribus, iracundus in rancoribus, de quibus cum noctu atque interdium magnis cum anxietatibus cogitant, nonne cæci ſunt, & cæcitatem amant?

Tertius eſſe ſolus p. m. ſurditas.

Aliud huius dæmoniacci vitium fuit ſurditas in corpore, quam itidem, omnes qui peccant, patiuntur in anima, præfertim vero in voluntate & memoria. Nam cum cæterarum rerum recens apud illos vigeat memoria,

moria, & voluntate ad eadem propendeant; eorum, quæ ad salutem ipsorum spectant, nec memoriam habent ullam nec voluntatis sensum. De his enim dic illis quicquid placet, clama quantum velis, ipsi nihilominus neque dictorum reminiscuntur, neque dictis quicquam mouentur. Quare? Quia obfurduerunt. Vnde enim tu rectius cognoscis aliquem captum esse auribus, quam si videas illum in maximis periculis constitutum, ad clamores tamen monentium ut sibi caueat, manere immotum. Verbi causa, Vides aliquem incerto progredi itinere, clamas, ecce præcipitium, ecce laquei absconditi, desicte ne corruas, ne capiaris; ecce ignis te circumdat totum, vide ne concremeris; ecce leo in te irruit, caue ne dilanieris; ecce scorpium, aspidem, draco venenatus te insectatur, fuge ne ab illis inficiaris, ne ab hoc etiam deuoreris! Hæc inquam, si tu magnis clamoribus repetis, illum vero ad hæc nihil moueri vides, nonne surdum esse asseuerabis? Absque omni dubio ita iudicabis. Eadem igitur fit tua de te in peccatis sepulchro censura. Clamat intrinsecus synderesis siue conscientia, clamat extrinsecus concionator, & confessarius, clamat ipse Deus intus & foris, modis innumeris. Quid vero clamat? Ecce inquit, in eo quo tu pergis loco, occasiones sunt multæ ad peccandum,

*Signa sur-
ditatis cor-
poralis.*

*Surditatis
anime ap-
plicatur.*

candum, est ingens præcipitium, & laquei multi, quibus capieris, vita itaq; illos, pedem retrahere, ne appropinques. Tu vero pergis. Addunt ipsi: Ecce ignis gehennæ vadique te circumdat, & circumuolat, vide ne comburaris ardeasq; ad inferni nouissima. Moveris nihil. Subiungunt illi. En diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens ut te deuoret; en vermis qui non moritur, en coluber tortuosus; ecce draco magnus, rufus, caue, fuge, ne inficiaris, ne absorbearis. Quid tu? Stipite manes immobilior. Quod obsecro surditatis spiritualis, signum est euidentius?

II. Pet. 5, 8.

Apoc. 12, 3.

Quartus effectus p. m. Muti effici.

Patet similitudine.

Denique sicut iste homo Euangelicus in corpore, ita noster demoniacus spiritualis mutus est, cum in eadem voluntate, tum vero in lingua, & in omni bene operandi facultate. In bonis inquam operibus mutus est: nam in malis nimium loquax, & lingua & actione. Neque vero id à similitudine huius muti Euangelici quicquam abhorret. Nunquid non vidimus aliquando homines natura mutos, magnis clamoribus omnia implentes? Ommino: at clamores illi præter fastidium pariebant nihil. Sic est omnis peccans in conspectu Dei, Angelorum, & piorum hominum, incomptas profert voces, turpes, obscenas, scelestas, horrendas, cum interim volun-

voluntas muta sit ad imperandum quicquam boni operis, muta lingua nesciens quicquam salutiferum loqui, mutæ manus, pedes, & potentia motiua tota, opus enim & actiones eius nihil pium testantur unquam; Vis huius rei apertum indicium? *Item exem- plo.* Unum è multus cape. Iubeas illum, qui eiusmodi est, peccata sua coram sacerdote confiteri. Quid ille? aut tacet, aut ad rem loquitur nihil, immo, cum de his à patre spirituali interrogatur, fert ægerri- *NOTA.* mē. Verte stylum, & in priuato colloquio, vel etiam in publico conuiuio, da ei an- sam facta sua recensendi, audies mirabi- lia. Quid causæ per Deum? Peccata di- cere iussus, vbi peccatorum confitendo- rum locus est, pisce obmutescit magis: eadem tacere cum deberet, promit per or- dinem, & multa & graua? Nonne plus- quam euidens est, animam eiusmodi oc- cupari à malo dæmone, qui sicut cæcam & surdam, ita mutam illam reddit in ijs om- nibus, quæ scssori ipsius displicent. Dia- bolo?

Cæterum dicet fortasse vestrum 'quis- *Occupatio ponens dis- ferentias inter da- monsacos.* piam. Si inter istos in corpore & anima à dæmone occupatos tanta est similitudo, efficitur igitur, vt quemadmodum is, qui in corpore obsessus est, non peccat, eti- amsi lingua vel alijs membris corporis agat

quid indecentius: ita etiam possessus in anima, patrans quidpiam contra legem diuinam, sit excusatione dignus. Absit. Imo accusatione dignissimus. Sicut enim inter hos dæmoniacos affinitas est aliqua, ita differentia plurimæ. Dux sufficiat. Altera quod occupatus à dæmone in anima, omnium actionum, verborum, & cogitationum suarum, liberum habet dominium: at vero obsessus in corpore, functionum corporis non ita liberam habet potestatem. Proinde quotiescunq; siue lingua illius ad blasphemandum, siue alia membra ad quiduis iniquè operandum, à dæmone tyrannicè agitantur, toties culpa vacat energumenus, qua non caret impius, qui sciens & volens malum operatur. Peccatum enim (teste Diuo Augustino, imò ipsa scriptura & lumine naturali) ita est voluntarium, vt si voluntarium non fuerit, neque peccatum dicendum sit. Quapropter etiam ipse energumenus reus sceleris erit, si actiones, illæ, legi naturali vel diuinæ contrariæ, ex libera ipsius voluntate fuerint profectæ. Altera inter hos differentia est, quod is qui in corpore ita est affectus, non potest quando vult ab illa sese infirmitate liberare, quod potest facere qui animo eger est. Falso enim & nefariè, quorundam illæ audiuntur voces; Non possum aliter facere, non possum non epulari,

1. Ratione
peccati.

2. Ratione
liberatio-
nis.

epulari, non luxuriari, non inebriari, obdormire enim nisi ebrius nequeo. Mēdacia inquam hæc sunt spurcissima, iam alias confutata, & sæpius refutanda. Crede mihi si à Tartaris vicinis nostris, crudis è bestiarum pellibus confectis locis constrictus, & ad equum alligatus ducereris, vel traheris potius (quod multis contigisse nosti) non solum epularum & luxuriei obliuisceris, sed etiam sobrius, imo incœnatus eundo cubitum dormires suauissime. Non mendaciis itaque, sed veritati te monenti, & ad pœnitentiam incitanti, aures obsecro adhibe tuas.

Verum enimvero si ea quæ hucusque diximus cuiuslibet peccanti mortaliter cōueniunt, quanto magis competentis, qui ingrati sunt diuinis beneficiis, qui obstinati in malo, qui blasphemus, qui aut sanari renuūt, aut sanati ad vomitum redeunt? Itaque de his iuxta promissa, & normam Euangelii hodierni, quod eiusmodi cum primis perstringit, iam agamus, & videamus, quinam sint & quænam eorum genera, quomodo cognoscantur, quam miserabilis & periculosus sit istorum status, vnde id proueniat, & quæ pœnæ eos maneat. Ad quæ omnia quo ad fieri poterit, verbis Euangelii respondere conabimur.

ET Primum quidem liquet è dictis fa-

X 5

ctis que

*II. PARS.
De homini-
bus pessimis
et habet
quinque
partes.*

*Primum
quid sint
vbi. Eorum
quinque
genera.*

Etis que istorum Pharisaorum pessimis. Quid ni enim eos dixerim caput talium omnium? Quanta enim istorum est ingratitude, qui pro tam eximio hodie, & sexcentis alias sibi præstitis beneficiis, malefacta rependunt nequissima? Quam blasphema lingua, quæ illa euomit verba: IN BEELZEBUB PRINCIPLE DÆMONIORVM EHICIT DÆMONIA? Quanta obstinatio, à qua nec à filio Dei, per tot media, quot illis exhibuit, dimoueri poterant? Quanta peccatorum iteratio, imo augmentatio, quam parabolis suis Christus notat? Quanta denique istorum erat insania, qui nunc quidem verbis, postea verò manibus in medicum animarum suarum ita irruunt, vt primum quidem lapidibus illum appetere conentur, postmodum verò crudelissimæ & ignominiosissimæ neci tradiderunt. Atque ò vtinam inter eos, qui se Christianos vocant, imitatores non habeant, sed proh dolor plurimi sunt, & multæ eorum species. Genera iam recensui bis species vero quis enumerabit? Nemo equidem. Sicut enim Sathan est callidus, versutus, & mille, imo innumeris artibus instructus, ita innumeras peccatorum adinuenit species, quibus illos qui se ei vltro tradiderunt, ita inficit, vt in singulis speciebus habeat tales, quales in pharisaïs depinxi-

*Species Ge-
nera
re.*

pinximus Itaque quot sunt peccatorum mortalium classes, tot istorum erunt species, videndę apud illos qui moralę tractant Theologiam, & casus resoluunt conscientię, qui quidem lapsus fraude dęmonis adeo excrescunt, vt numerari amplius nequeant, licet in singulos annos de eorum tractatione, noua & copiosa doctissimorum virorum prodeant volumina.

Cognoscendi vero eos qui huiusmodi sunt duę dantur in Euangelio regulę, altera facti, causę altera: hanc ponit Christus, illam pharisęi opere testantur ipso. A causa cognoscuntur, cum impletur in eis, quod hic saluator narrat de dęmone, qui siue à gente Iudaica (de qua hic præcipuus est sermo) siue ab anima aliqua expulsus & eiectus, circumit iterum iterumque locum vnde pulsus fuerat, & siquidem animam eandem ad malum & peccatum dispositam animaduertit corripit septem alios spiritus immundos, nequiores se, qui denuo ita miseram illam inuadunt & occupant, vt eam longe quam antea deteriore, peccatisque ac sceleribus magis deditam efficiant. Itaque si bene rem consideres, causa tanti mali prima & primaria est mala & otiosa hominis in anima sanati vita, ac conuersatio: iis enim irritatus vel illectus potius Sathan, denuo illum aggreditur, tentat, vincit, ac ad repetenda pecca-

*SECUN-
DVM Quo
modi co-
gnoscendi.
1. Regula
à causa.*

NOTA,

*2. Regula
ab Euentu
Iudæorum.*

peccata inducit, peioremque quam fuit antea, reddit. Cernimus id in Iudæis, qui præ omni gente, quæ tum temporis sub sole erat, vberioribus à Deo acceptis gratiis, ingrati existentes, cum otio, auaritiæ, ambitioni (non Dei sed suum honorem quærentes) luxuriæ, superbiæ, aliisque sceleribus, quæ Christus Dominus sæpe illis exprobrat, se se tradidissent, effecerunt, vt **SEPTEM** id est multi (phrasi Hebræa & scripturæ) **DÆMONES** cor illorum occuparent, qui non solum illos ad prauiora in dies patranda facinora impulerunt, sed etiam eo pertraxerunt, vt Messiam tam diu desideratum repudiantes per summum scelus & ingratitude cruci affigi curarent. Quantum scelus! at non minus illorum, qui Iudæorum exemplo, gratiæ Dei vel oblatae sibi, vel collatae ingrati, alii fidem rectam obstinate recipere nolunt, alii receptam iterum repudiant, alii licet in fide Catholica persistant, tamen aut sacramentis abutuntur, aut acceptam gratiam reiiciunt, ideoque à pluribus & deterioribus dæmonibus in anima occupati, in maiora quotidie prolabantur peccata, adeo vt non solum nullis ab iis amoucantur mediis, sed etiam & remedia omnia, & medicos ipsos phrenetico plane spiritu infectentur, ac proscindant. Eiusmodi sunt imprimis hæretici, maxime recidui, qui primum

*Exempla
quotidiana*

Hæreticorum

mum quidem Lutheranam complecti sectam paulo post in Calvinianam, ac demum in Arianam, vel Anabaptisticam, perfidiam prolabantur. Eiusmodi sunt & Catholici, qui expulso à se Sacramentorum ope (verbi causa) fornicationis spiritu, continuo otio epulis, ac ebrietati se tradunt, atque ita non solum in priora, sed etiam in peiora, in adulteria inquam, incestus, & alia, quæ pudet dicere, spurcissima relabuntur crimina. Nō alia certe de causa, quam quod Sathan accepta occasione, cum septem aliis ingressus in animas istorum, multo quam antea faciat eas nequiores & obstinatioris: ita, ut & illi, veritati Catholicæ, evidentissimis comprobatae rationibus, non minus quam hic Iudæi Christo malitiose resistent, & isti in ea quæ paulo ante recensuimus incurrant mala.

Catholicorum,

Hinc iam facile quiuis animaduertere potest, quinam sit istorum status. Est enim omnium qui in vita reperiuntur & funestissimus & periculosissimus. Miseria eius notatur illis Christi domini verbis: ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEIORA PRIORIBUS. Fiunt peiora, tum ob dictam causam, tum vero propter ingens periculum in quo positi sunt, perdendi vitam æternam. Sicut enim nulli maiori in periculo amittendæ vitæ temporalis, versantur quam illi,

TERTIUM MISERISSIMOS ESSE.

Et periculosos.

illi qui feбри acutissima laborantes, morbo in singulas horas ingrauescente, omnia penitus remedia repudiant, ac in ipsum etiam medicum insurgunt: ita in hoc morbo spirituali rem eodem modo se habere perspicuum est, in factō vero isto pharisæorum euentissimum. Quid enim medicus animarum omnium peritissimus, Christus Iesus, potuit amplius facere genti huic, quod re ipsa non præstitit? Ecce in hodierno Euangelio, quatuor in vno homine edit miracula, potentissimas adfert rationes, (de quibus in sequenti agemus Concione) ad quas Pharisæi ne verbum quidem respondent, adhibet minas feruissimas, & alia remedia fortissima, quo fructu? Nullo, in cassum recidere omnia. O vtinam idem in iis de quibus iam differuimus, tam hæreticis, quam etiam Catholicis non videamus. At nos inquit miracula non habemus. Neq; hæc profecto defunt sapius, & quod maius est, nonnunquam in nobismetipsis, ea conspiciamus, vel certe si vellemus aspicere possemus. Neq; etiam si adessent, quicquam talibus profunt. Exemplo sit primus Rex Israelis Ieroboam, qui accepto à Deo regno per Achiam Prophetam aliisq; dotatus beneficiis, in tantam vefaniam homo ingratus incidit, vt & vitulos aureos faceret, & populū Israeliticum, a cultu

A simili.

Ab exemplis istorum Pharisæorum

*Regis Ieroboam.
3. Reg. 11.
30.*

à cultu veri Dei auerteret, & ipse incensum
 Idolis adoleret. Quod dum facit, à viro Dei
 reprehensus, tria eadem hora miracula vidit,
 quorū duo in se ipso expertus est: Vidit in- *3. Reg. 17. 4*
 quam altare scissum, cineresq; effusos, sicut
 propheta futurum prædixerat: sensit ma-
 num suam, quam contra virum Dei ex-
 tenderat arefactam, sensit eandem ad pre-
 ces Prophetæ, pristina restitutam sanitati.
 Quid vero hæc homini sceleratissimo pro-
 fuerunt? Nihil penitus. Nā & in Idololatria,
 & in aliis iniquitatibus suis permansit vsque
 ad mortem. Idem timeant qui ei sunt simi- *Quotidia-*
 les, quorum etiam hoc tempore non exi- *nu.*
 guus est numerus, præsertim inter hæreti-
 cos, qui vt dixi miracula in seipsis experti,
 nihilominus in sua perstiterunt impietate.
 Nouimus non neminem eiusmodi, nemi-
 nem vero nouimus, qui postquam miracu-
 la contempsit, conuertiq; per ea noluit, in
 sua perfidia non permanserit. Tantum est
 hoc ingritudinis malum.

Vnde vero hæc eorum proueniat cala- *QVAR.*
 mitas, periculum & excæcatio, & nos ali- *TVM, cas*
 quando docuimus & Christus Dominus in *sa perculi-*
 Euāgelio minime subticuit. Docuimus nos *Dom. 6. post*
 totam huius mali originem esse malitiam. *Epiph. Con.*
1.
Excæcavit enim illos malitia eorum, inquit sa-
 piens, idem quod & nos, disertis contestans *NOTA.*
 verbis. Porro sapiētia Patris Christus Domi- *1. Malitia.*
 nus, *Sup. 2. 214*

nus in Euangelio hodierno, tres peculiare huius rei adfert causas. Etenim dans rationem, cur immundus spiritus acceptis septē aliis nequioribus se, reuertatur ad pristinam suam domum, calamitosioremque eam reddat, quam antea fuerit, inquit: **INVENTITAM SCOPIS MVNDATAM ET ORNATAM.** Matthæus vero adiungit tertium, etiam *vacantem*. Iste est *triplex* ille non bonus sed pessimus, *funiculus* qui *difficile rumpitur* (vt in sequenti puncto intelliges) hæc est ad malitiam, indeque ad excacationem proxima dispositio, otium videlicet, securitas conscientie, & superbia, fætidissimi malorum omnium fontes. *Vacantem* reperit domum, Sathan, cum homo à Dæmone liberatus otiat, tum ab agendis gratiis Deo pro acceptis ab eo beneficiis, tum à fructibus penitentie: tum ab exercitio solidarum virtutum & omni opere bono, istas vero vacationes confectantur commestationes, ebrietates, immunditie, quæ otii sunt pedise quæ fidissima. Secundo **INVENTITAM** domum seu animam illam **SCOPIS MVNDATAM.** per quæ verba quid rectius intelligemus, quam excusationes de peccatis, quibus tanquam scopis mundantur hi, qui graues illis fuerunt ab initio, remorsus conscientie? Mundantur autem tam diu, donec succedat execranda illa securitas, qua & hæretici

Matth. 12.

44.

Eccl. 7. 12.

2. Otium

Eccl.

3. Securitas
pessima con
scientie.

cre-

credunt se sola fide saluandos: & Catholici
 extenuantes peccata sua, etiam crassa pro
 nullis reputant. His si tertium accefferit, ni-
 mirum quod **I N V E N I T** etiam illam **O R -**
N A T A M, actum est de tali homine, inci- *4. Ficta Vir-*
 dit enim in eum de quo agimus infelicissi- *tutes.*
 mum statum. Ornamenta autem sunt, falsa
 & hypocritice virtutes (vitia potius dixeris)
 quæ ex fastu & præsumptione procedunt,
 vnde putat se egregie peccata confessum
 esse, licet secus res acta fuerit: existimat se
 plurimis operibus misericordiæ abundare
 cum vix vltimum eorum attingat, denique si-
 bi persuadet, se in misericordia diuina spem
 collocare suam, cum non spes sed præsum-
 ptio sit illa pessima. Eximie sane Apostolus
 illis eos descripsisse mihi videtur verbis.
1. Tim. 3. 4.
Proterui, tumidi, & voluptatum amatores, ma-
gis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis,
virtutem autem eius abnegantes. Subditq; suo
 scribens Timotheo, *Et hos deuota.* Quare? *5. Commi-*
natio Pauli
 Quia non solum ipsi sunt mali, sed etiam a-
 lios conantur inficere, prout in istis phari-
 sais liquido patet. Quam vero sit istorum
 salus desperata, vel ex eo collige, quod Apo-
 stolus non medicinam pro eis parare, sed E-
 piscopum fugere illos iubeat. Tales sunt
 hæretici, quorum ibi præcipua fit mentio,
 tales etiam isti Catholici, quos modo de-
 scripsi, tales & illi qui morigeros rident, qui
 Y deuo-

deuotos carpunt, qui monentes se conuictis lacerant, & alii generis eiusdem.

QUIN.

IVM Pa.

964

1. Derelictio
à simili.

Mat. 23. 39.

Iero. 51. 9.

Pœnas tantis criminibus & criminatibus debitas, quis digne censebit, aut recensebit? Certe quam modo ex Apostolo audistis, non est in postremis habenda. Magni supplicii loco reputas, si te ægrum corpore deserat medicus: quanto maius igitur damnum erit, si in anima periclitantem refugit curator? Id vero præcipere Timotheo Paulum vides. Quis nouit an Christus idem non fecerit pharisæis istis? Certe constat illum aliquando eisdem dixisse: *dico vobis non me videbitis amodo.* Quid quod & Angeli ipsi auxilium suum subtrahunt ingratis & obstinatis? de eis enim illud intelligunt Patres *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Quæ Babylon id est, confusio maior, quam in anima illa, in qua septem dæmones habitant? Nec mirum à mundis illum desereri spiritibus, qui immundos, & nequam spiritus, vltro & voluntarie suscipit, imo quodammodo ad se allicit & inuitat, vt vidimus. Verum ad pœnas quas Euangelium designat veniamus. Et vero quæ in prima parte recensuimus, tanto magis istos afficiunt, quanto maioribus sunt obruti peccatis. Nimirum pro quantitate delictorum cre-

scit

scit & pœnarum modus, non in illa modo,
sed & in hac vita.

Itaque si quis lethaliter peccans occu-
patur à Sathana in anima, quanto magis
iste, de quo in hac secunda parte egimus,
ipso id contestante Christo Domino in
Euangelio hodierno? Hoc enim in primis
sibi vult parabola de dæmone, septem alios
nequiores se, in societatem accipiente & in
tali anima habitante. Hinc sequitur cæcitas
multo quam in illis grauior, adeo vt tan-
dem in excæcationem exerceat, qua de re
multa habemus in scriptura. Sicut & de in-
durationse, quæ hic in dæmoniaco muto fi-
guratur. Habent enim qui eiusmodi sunt,
ad diuina, cor durum & lapideum, quod
nec piis ictibus vllis frangitur, nec de rebus
ad salutem animæ spectantibus vllum ver-
bum facit. Deniq; surditas tanta est, quanta
maior esse nequit, quam primam causam i-
storum malorum omnium, diximus in illa
concione.

2. *Obsessio
à septem dæ-
monibus.*

3. *Excaca-
tio.*

4. *Indurna-
tio.*

5. *Surditas.*

Sed & illud quod Christus in Euange-
lio inquit. **QUI NON EST MECUM,
CONTRA ME EST.** Istitis in primis com-
petit, estque maximum malum. Fit enim
vt sicut illi sunt contrarii Christo, ita vicif-
sim Christus sit contrarius illis eosque acri-
ter oppugnet. Quod si nunc non sentiunt,
quia

6. *Oppugna-
tio à Christo*

quia nonnunquam in magna prosperitate versantur, sentient aliquando tandem homines deploratissimi, quando nec fructuose plorare, nec vllam ex vlla re consolationem capere amplius poterunt in aeternum, nempe quando implebitur illud, quod & Deus olim per Prophetam prædixit, & ipse filius Dei ore suo repetiit dicens: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* per vermem intimas, per ignem extimas pœnas intelligens, & vtrasque nunquam cessaturas asserens. Cur, ò delicati animarum & corporum vestrorum amatores, his non mouemini? si iis non creditis, quomodo Christianos vos esse fatemini? si creditis? quomodo ad hæc non perhorrescitis? *Durum est tibi contra stimulum calcitrare:* at durius contra Deum pugnare. Victor enim euadet Deus semper, siue illo modo quo vicit Paulum, cui priora verba dicta sunt: quod rarissimum: siue illa alia ratione, qua dicitur, tollatur impius ne videat faciem Dei, quod frequentissimum est, id igitur pertimesce. Neque vero Paulo te comparare velis. Audi enim quid ipse de seipso dicat: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci,* quod vti- que tibi competere non potest. Nam neque nos quæ dicenda sunt, tacemus neque te quæ nos dicimus latent.

Alia pœna istorum est, quam hi Pharisei facto declarant ipso, linguas suas venenatas contra Creatorem suum scelestissime exerentes, Christumque blasphemantes. At culpa hæc potius inquis, quam supplicium. Imo vero vtrumque est, & peccatum & pœna peccati. Peccatum esse non dubitas, & facinus grande: pœna quoque peccati est, quia dati sunt in reprobum sensum, vt contumelia afficiant creatorem suum, partemque inferni secum circumferant. Blasphemare enim creatorem damnatorum est proprium. Sed carent, inquis, pharisei isti imitatoribus inter Christianos. Erras. Quid si etiam deteriores esse demonstrauero? Similes illis sunt qui malum pro bono reddunt, qui nec beneficiis mouentur, nec rationibus cedunt, imo peiores fiunt, hi omnes factis blasphemant; quot vero etiam lingua ipsa nequissima id faciunt? Ipse nouit numerum illorum, qui omnia numerata habet. Magnam esse nec nos pro dolor latet. Isti vero ipsis etiam scribis eo sunt nequiores, quod illi quidem quasi per ignorantiam eum quem Messiam esse non putabant lacerabant: isti vero scienter, quem pro tali agnoscunt, & cuius titulo se insigniunt blasphemant Christum Iesum & matrem eius. Quod scelus cum hoc cõparari potest? qua

7. Blasphemia.

Christiani peiores scribis.

pcena hac mentis insania crudelior? Proinde mirum non est, septem demonibus ne quoribus tradi illum qui eiusmodi est.

8. Multipli-
catio damo-
num.

Imo nisi ego fallor, non septem tantum daemones, sed nonnunquam septuaginta septem, infelicem istam occupant animam, iuxta criminum qualitatem & numerum.

Gen. 4. 24.

Inducor ad id credendum cum dicto illo *septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies*, quod hoc ipsum quodammodo innuit: tum vero quia tota scriptura, in clamare mihi videtur crescentibus peccatis crescere etiam peccatorum supplicia, quod & ipse Salvator expressis testatur verbis, quando illum qui triginta & octo annis lecto affixus iacuit, alloquens inquit: *ecce sanus factus es, iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat*. Itaque cum constet hinc quidem pro criminum qualitate, augeri pcenas: ex Euangelio vero hodierno, multiplicationem daemorum, qui animas occupant, in pcenis reponendam esse, constabit etiam evidenti consecutione, dum scelera iterantur & augentur, ipsas etiam daemorum cohortes ita augeri, ut non solum ad hunc quem dixi, sed etiam ad maiorem assurgant numerum. Cogitent hæc per Deum, qui se eiusmodi exponunt & obiciunt periculis.

Joan. 5. 14.

Postre-

Postrema poena est, quam minitans iisdem, de quibus agit Euangelium, scribis ac Phariseis Christus Dominus, apud Matthaeum expressit illis verbis. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro.* Quid periculo, illo vel animam perdendi & cruciatus intolerabiles sustinendi in aeternum, potest esse vel evidentius, vel terribilius? Veritas dicitur, verissimum igitur erit, quod neque in hoc neque in alio saeculo peccatum istorum remittetur, in hac ergo & in illa vituperantur. Pari enim hae passu currunt. Porro quod ad sensum horum verborum attinet, non est nobis multum laborandum, (dicemus tamen aliquid paulo post) tum quod non nostri, quem explicandum suscepimus, sed alterius sint Euangelistae: tum quod concioni finis iam sit imponendus. Locus autem iste tam est difficilis, ut Augustinus putet in

9. Summum periculum.

Mat. 12. 30

Aug. serm. 11. de Serbis Domini

tota scriptura vix esse obscuriorem: in poena tamen quae talibus debetur, & in periculo in quo ii sunt, nimis clarus mihi esse videtur. Hae vero ad incutiendum nobis, terrificum timorem satis superque sufficere possunt.

III. PARS. Remedia contra timorem. Obsequium.

At timor inquis in desperationem inducit hominem, proinde his dictis eorum tu me propellis. Respondeo, imo vero timor

*Ps. 110. 10.
Prov. 1. 7.*

sapientiam docet. Sic enim David: *initium sapientie, timor Domini*, & Salomon: *Timor Domini principium sapientie*. Equidem si quis in mundo esset desperationi locus, statusq; in quo necessum sit nos de salute diffidere, is esset eiusmodi quem iam nos, vel Christus potius in Euangelio descripsit: verum quum quamdiu hic spiramus, spirare vsque quaque nos oporteat, non ad desperandum sed ad pœnitendum, & per pœnitentiã ad sperandum te dictis exhortor meis. Sed qui sperare possum, inquis, cum Christus Dominus claris testetur verbis, id delicti genus neque in hoc, neque in alio remitti sæculo? Certe si perseveras & permanere vis in eodẽ scelere, spes tua nulla est: at vero si tandem respiscere, & à vitiis pedem retrahere, nec ad ea vis redire amplius, duplex tibi spei fundamentum demonstrabo.

*Remediũ
Tres solutio
nes loci D.
Matth.
NOTA.*

Primum quod & iam insinuavi, & alias deduxi, nempe statum eorum qui pœnitere non possint, in hac vita omnino non reperiri. Ad verba autem Christi tripliciter responderi potest. Primo dici id, propter maximam quæ etiam nunc in talibus visitur respiscendi difficultatem, sicut & in alio loco Christus inquit, *facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum*. Id tamen non esse penitus impos-

impossibile, docet idem Christus & verbo, & facto. Verbo, cum ait: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Luc. 18. 27
Luc. 19. 2. facto, cum statim camelum cum magno diuitiarum gibbo Zachæum nomine per foramen acus transire facit. Idem hîc cogita, & si diues es, (quouis impuro diuitiarum genere) sequere Zachæum & penetrabis. Secundo, dici id à Christo vt Ecclesiam doceat, esse aliqua peccata, quæ licet hîc non remittantur, remitti soleant in alio sæculo. Eiusmodi autem non esse eam, de qua disseruit, blasphemiam. Hæc enim cum cogitato, & ex malitia (id enim est peccatum seu blasphemia contra Spiritum sanctum) fiat, veniale peccatum esse non potest, quod solum in illo dimittitur sæculo. Tertio, loqui Iesum; de ijs ad quos sermo factus est, (deque his similibus) Pharisæis, quos quia in peccato suo morituros sciebat (id enim alibi testatur) prædicat peccatum illud, neq; in hoc, neque in alio sæculo esse dimittendum. IOAN. 8. 22. Tu igitur vide ne illos imiteris, ne idem tibi quod ijs eueniat.

Secundum remedium dant tibi vltima 2. Remediũ
timor &
penitentia. verba Euangelij, dicente Christo, **BEATI QVI AVDIVNT VERBUM DEI, ET CVSTODIVNT ILLVD.** (de quibus in vltima concione plura) In his enim tanquam in compendio habes omnia, quæ si opere

perfeceris, etiamsi omnium maximus sis peccator, qui sunt vel vnquam fuerunt in mundo, saluaberis tamen. At multa sunt, inquis, verba Dei, quæ igitur audiam? Duo accipe (ne te nimium grauem) quæ te docet ipse filius Dei, alterum in hoc Euangelio: alterum cum primum aperuit os suum, docens populum. Illud vocatur TIMOR, hoc PŒNITENTIA. Timorem spirat hoc Euangelium penè totum, sicut ex concione ista, præsertim vero ex secunda eius parte, intellexisti, imo res & textus loquitur ipse. De Pœnitentia testatur D. Marius, nempe Christum Dominum peracto Baptismo in Iordane, & ieiunio ac tentatione in deserto, egressum ad prædicandum Euangelium, primam illam ad populum vocem emisisse. Pœnitentiam agite appropinquauit vobis regnum celorum. Hæc igitur duo tu quoque habeas, & viues. Recorders illius cuius mentionem habuimus in hesterno Euangelio, illius inquam filij qui dissipauit substantiam suam, à patre sibi traditam, qui tamen postea misericordiam, & stolam primam, & annulum, & calceamenta consecutus est. Qua ratione? Non alia, quantum ego video, quam timore & pœnitentia. Timorem illa testantur verba: *Ego autem hic fame pereo.* Metus enim ne moreretur effecit, vt in se reuersus pœnitentiam

*Hæc docet
Christus.*

Mat. 4. 17.

*Id agit filius
pro-
digus.*

Luc. 15. 11.

tentiam meditaretur, quam postea, pulchra oratione ad Patrem facta, demonstravit. Idem tibi, o quicumque in peccatis sepultus es, est faciendum. Terreant te, tam graues minæ à Christo Iudæis intetate nec hæ tantum, sed etiam executio illarum. Vides enim omnia ista expleta in eis, datosque in manus septem dæmoniorum, à quibus nec in temporalibus, nec in spiritualibus sese extricare possunt. Audi igitur, & placeat tibi consilium meum, id videlicet, vt quoties aspexeris Iudæum te prætereuntem, toties facti huius recorderis, & cogitans ne tibi deterius quid cõtingat propter maiorem ingratitude terrore concussus, ne & hic & in æternum pereas, recurre ad pœnitentiam. Doleas in primis, quod talem tamq; piæ patrem tantis tuis offenderis sceleribus, & non solum substantiam tibi ab eo datam dissipaueris, sed etiã & linguam, & membra alia aduersus illum vibraueris. Deinde relinque omnia, quibus antea offendebas Deum, nec ad ea reuertaris amplius, prout hunc filium prodigum fecisse cernis. Tum præterea confitearis peccata tua, non apud Deum tantum, sed etiam coram illis, quos suo loco tibi reliquit Iesus, sicut hunc, patri & seruis ei assantibus peccata sua confessum vides. Denique obtenta sola prima per sacerdotis absolutione, vide

Terreant nos Iudæi.

Doccat pœnitentiam filius iste prodigus.

ne

ne des iterum locum Diabolo. Itaque caue domum, id est, animam tuam habeas *vacantem* à fructibus pœnitentiæ. Caue ne scopis eam mundes, scopis inquam laxitatis, & securitatis conscientiæ. Caue ornare eam hypocrisi, & falsis virtutibus. Absint absint hæc à te longissime, ne septem vel etiam plures & nequiores spiritus inuadant te *denovo*. Sed imitare Dauidem, qui licet audierit à Propheta, trāslatum fuisse suum peccatum, tamen non otio sed pœnitentiæ se dedit. Hinc illi clamores ipsius. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et iterum. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Et rursus. *Exitus aquarum duxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Si hæc fecit vir qui sciebat remissa sibi fuisse peccata sua, quid nos facere oportet, qui id ignoramus *Virum amore an odio digni simus?* Nunquam igitur cessandum est à pœnitentiæ & fructibus eius, nunquam non exerenda & stringenda arma aduersus hostem antiquum, prædonem animarum nostrarum, nunquam fictis sed semper veris ac solidis virtutibus vtendum. Id enim si feceritis, *si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt,* præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum

Perseuerantiam vero

Dauid.

2 Reg. 12.

13.

Psal. 50. 4.

Psal. 6. 7.

Psal. 118.

136.

Eccl. 9. 2.

Isa. 1. 18.

eum Patre in vnitae Spiritus sancti viuit,
& regnat Deus in saecula saeculorum, Amen.



CONCIO II.

FIDES.

PARA.
BOLAET
VSVS PHI
LOSO-
PHIAE.

QUARTA ab hinc Dominica, subieceram oculis mentis vestrae parabolam quandam, cui tota nostra innitebatur concio eam, vos & erectis auribus accepisse, & auidè (vt mihi quidem videbatur) degustasse recolo. Id ipsum hodie à vobis, & maiori quidem iure exigo, eo quod aenigma, (vt illud Augustinus vocat) quod proponere institui, non vt primum illud, à me excogitatum est, sed ex ipsis Scripturae sacrae fontibus depromptum. Quod si iuxta commune verbum omne aenigma acuit intellectum, sanè multo magis id, quod à Spiritu sancto profectum est, & fidem informare & mouere poterit affectum nostrum.

*Aenigma
acuit in-
tellectum.*

Quare ne in exordio multis vos detineam, in hodierna concione, primum quidem parcemiam quam promisi referam, scopumque eius breuiter aperiam : deinde vero quod audistis Euangelium ad eam accommodare

*Prop. Es-
partita.*